

99, ex Lucæ verbis non temere contendit, scorsum esse, quia dicitur oculos suos extulisse diues in inferno cum esset: additurque magnum chaos esse interpositum, Luc. 16. f. 26. En magnū argumentum tragædiæ. Quòd si per Abrahamæ sinū, pro more limbū intelligunt, in quo animæ aliquid passæ sint, longe dissentiunt veteres. Ut Augustinus in locis iam citatis, & Hieronymus in caput Esa. 65, ubi dicit trāquille in sinu Abrahamæ quiescere fideles. Idē Augustinus lib. de Genesi ad literam, cap. 33, Neque enim Abraham & Lazarus in sinu, id est secreto quietis eius, in doloribus erāt, inter quorū requiem & inferorū tormēta, legimus magnū chaos interpositum. Item in Psal. 36, animas fideles vsque ad extremū iudicij diem constituit in sinu Abrahamæ. Contra insurgunt cēsores, cum duobus Scripturæ locis, Descendit Christus inquiunt, in inferiores partes terræ, teste Paulo, Ephe. 4. b. 9. Si inferiora terræ limbū significant: nō est Abrahamæ sinus ad quem ex inferis diues oculos sursum eleuauit. Si veterū suffragijs pugnādum sit, habeo Chrysostomi interpretationem illis cōtrariam. Sed nimis cōtentiosus erit, cui aperta Lucæ verba non sufficiēt. Zacharias, cap. 9. c. 11, puteum